

Handwritten text on the spine edge, including the words "Geometrie" and "von Leibniz".



2138.

Am. 256

IOANNIS CRATONIS
A KRAFFTHEIM

TRIVM IMPERATORVM QVONDAM CONSI-
LIARII ET ARCHIATRI

EPISTOLA

AD

IOANNEM SAMBVCVM
MED. DOCT. CONSILIARIVM ET HISTO-
RICVM CAESAREVM

DE

MORTE IMPERATO-
RIS MAXIMILIANI
SECVNDI

NVNC PRIMVM EDIDIT
D. CHRIST. GODOFRED.
GRVNER

PROF. MEDICINAE IENENSIS

IENAE
LITTERIS MAVKII
c1616cclxxxi.

IOHANNIS CRISTOPHORI
ARRATHEM

PHYSICORUM CONSULTORUM
ACADEMIAE ST. ANASTASIAE

EPISTOLA

IOHANNEM SAMBUOCUM
MED. BOHEM. CONSULTIVUM ET HISTO-
RION. CASBOVENS.

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZUHALLE**

PHYSICORUM
ACADEMIAE ST. ANASTASIAE

IOHANNIS CRISTOPHORI

ARRATHEM

PHYSICORUM

ACADEMIAE ST. ANASTASIAE

IOHANNIS CRISTOPHORI

VIR
PERILLVSTRI ATQVE EXPE-
RIENTISSIMO

IOANNI PETRO
FRANK

MED. DOCT.

CELISSIMI AC REVERENDISSIMI PRIN-
CIPIS EPISCOPI SPIRENSIS CONSILIA-
RIO INTIMO ET ARCHIATRO

PATRONO ET FAVTORI
OPTIMO

V I R O
P E R I T I S S I M O
R I E N T I S S I M O

I O A N N I P E T R O
F R A N K

M E D . D O C T .
C E L S I S S I M I A C R E V E R E N D I S S I M I P R I N -
C I P I S R E I S O C I E T A T I S C O N S I L I -
R I O P A T R O N O E T A R C H I A T R O

P A T R O N O E T F A V T O R I
O P T I M O



VIR PERILLVSTRIS ATQVE
EXPERIENTISSIME

Ex quo in TVI notitiam, fauorem
litterarumque consortium perue-
ni, VIR PERILLVSTRIS, mirifice de-
lectatus sum multiplici doctrinae ge-
nere atque artis medicinalis peritia, qua

TE reuera esse archiatrum, non nomi-
ne, satis superque ostendisti. Rapuit
vero me, vt aperte dicam, quae sen-
tiam, in TVI admirationem praecla-
rum *de politia medica* scriptum, in quo
docte demonstraſti, quae qualisque pu-
blicae ſanitatſ cura eſſe debeat, quam
ſacra et inuiolabilia putanda humanita-
tis iura ſint, quantopere parcendum ac
ignoscendum puellis ventre onuſtis, quam
durae, inhumanae minusque accommo-
datae in miſerum hoc femellarum genus
leges promulgatae, quam parum pro-
ficiant, qui caeci Amoris impetus per
ſacras ignominias, mulctas, dehoneſta-
menta et eiꝰſmodi alias poenas reſtin-
guere geſtiunt. Bruta enim ſunt, TE
iudi-

iudice, ista sacerdotum fulmina, irritae
iureconsultorum leges, superuacuae me-
dicorum et philosophorum adhortatio-
nes, nisi educandi ratio alia sit, ac quae
adhuc inualuit, nisi abiiciatur fabu-
larum Romanensium lectio, rerum lu-
dicrarum consecratio, mollitiei luxuri-
aeque studium, nisi prospiciatur ma-
trimonio quouis modo citando. Sed
quid multa? Insunt in doctissimo TVO
scripto, VIR PERILLVSTRIS, quae,
si sibi, si patriae, si posteris vere prodesse
velint principes, cum facienda, tum
omittenda videantur. Accipe ergo CRA-
TONIS archiatri, ARCHIATER CLA-
RISSIME, epistolam, tanquam caram
hospitem, eamque penes TE saluam ac

A 4

tutam

tutam esse iube. De reliquo perge ea,
qua coepisti, via salutis publicae medica
praesidia liberius commonstrare, mihi
vero, si tanti TIBI videor, in posterum
favere, quippe non vltima laus est, pla-
cere viris vere doctis. Vale, VIR
PERILLVSTRIS, iterumque vale.
Scripsi Ienae III. Calend. Nouembr.
c160cclxxxi.

PRAE-



PRAEFATIO

Inter Imperatores maximi semper habitus
est MAXIMILIANVS II. Qui vt erat mi-
rissimi ingenii princeps et rerum domi foris-
que gestarum fama celebratissimus, ita
etiam cum posteritate memoriam adaequa-
uit, quod ex aequo et iusto iudicaret, ne-
minemque ob diuersam religionem di-
uexandum putaret. Vnde factum est, vt
vixit omnibus carus esset, mortuum vero
omnes probi lugerent. E multis SCHAR-
DIVM *), CHYTRAEVM **) atque IO. GOTTL.

A 5

BOEH-

*) In Bibl. Hist. Struuius-Buder. p. 951. seq. et
p. 786.

**) Dio. Chytraei Orat. De Maximil. II. Imp. Aug.
p. 61. Orat. Collect.

PRAEFATIO

BOEHMIVM *) memorasse sufficiat, pleniorē vitae narrationem sperare iubet Illustr. MEVSEL. Ambigunt, si recte memini, et inter se disceptant historici de mortis genere, quo diuus Imperator obiit, et alius aliam causam refert. Peracceptae ergo mihi nec opinanti talia fuerunt litterae Cl. HOFFMANNI, medici Altenburgensis experientissimi, quibus me de inuenta et detecta IOANNIS CRATONIS epistola certiorē faceret. Latebat ea inter quosdam HIPPOCRATIS commentarios, quos seruat bibliotheca Gymnasii Altenburgensis **). Hinc ego eum ad eam describendam fideliter, malam scribentis manum dextre exprimentam, et crebra scripturae compendia non metuenda adhortari, plausus historicorum polliceri. Fecit, quae optaram, miracum assiduitate atque diligentia, et transmisit exemplum vna cum litteris authenticis, at verò rogatu meo humanissimo eas contulit denuo hoc in litterarum genere Roscius,

Cl.

*) Comment. *De Maximil. II. erga rem euangel. indulgentia*, Lips. 1779. 4.

**) Hi in *Willibii Indic. Bibl. Gymnas. Frideric. Altenb. 1721. p. 480.* recensentur.

PRAEFATIO

CL. MVELLERVS, atque litterarum ductus perquam tortuosos et aenigmata scribentis non tantum rite aestimauit, verum etiam ostendit, genuinam hanc esse epistolam, si ex artis diplomaticae legibus iudices, videri descriptam ab litteris CRATONIS authenticis, sed eiusdem aetatis esse, nihil continere, quod prorsum repugnet fidis rerum gestarum monumentis, et dignam esse, quae cum eruditis viris communicetur.


Magnam profecto auctoritatis vim habet IOANNIS CRATONIS testimonium, cum et inter sui seculi medicos primum fere locum teneret, et ipsius MAXIMILIANI esset archiater. Hinc ego quam diligentissime inquirere, num forte alicubi prostant istae litterae, euoluere eius *Consilia et Epistolas medicinales* *) ceterosque talium scripturarum auctores, sed nihil reperi, quod me ab proposito auocaret. Ni tamen omnis fallor, quaerenda esset authentica CRATONIS epistola inter scrinia bibliothecae Rhedigeranae Vratislaviensis. Habet enim illa multa triplici aere vineta volumina plena epistola-

*) Edit. Francof. 1671. 8.

PRAEFATIO

stolarum, a viris clarissimis seculi XVI. scriptarum, puta, CRATONIS, MONTANI, DV-DITHII cet. An reuera insit, nescio: nam quae est singularis Cl. ARLETII cura et prouidentia, aspicere quondam licuit ligaturas librorum, inspicere libros non licuit. Erat vero CRATO, teste locuplete CON-RINGIO, πολυπειροτατος ὁ αἰγιατρος, inter germanos medicos longe clarissimus, exteris carus, posteris, qui antecessores, bene de republica litteraria meritos, ex aequo venerantur, non rident, ob eximia et lectu digna opuscula etiamnum vtilissimus, denique vir probus et protestantium fautor integerrimus. De hac ergo epistola nihil habeo, quod amplius moneam. Satis est, dedisse sine fuce, quae acceperam, et profuisse futuro vitae indulgentissimi principis narratori. Dolebit tamen nobiscum optimus quisque tanti tamque eximii Imperatoris obitum, qui si quando, iubente naturae lege, ad superos abeundum erat, sine improbae mulieris astutiis et beneficiis fatis cedere debebat, et piis diui Augusti manibus bene apprecabitur.

DE



DE
MORTE IMPERATORIS MA-
XIMILIANI IOANNI SAM-
BVCO V. D. S.

Incredibilis meus dolor, quem ex obitu Sacra-
tissimi Imperatoris, et morbo grauissimo filii
mei accepi, ita me afflixit et omnes animi atque
corporis vires abstulit, vt nulla in re cogitatio-
nem locare atque figere possim. Itaque de
morbo et vitae exitu Sacratissimi Imperatoris
MAXIMILIANI II. Domini mei benignissimi
S. M. ad te scribere conantem doloris acerbitas
remoratur. Non dubito autem, quin multis
litteris plurima nobis nuntiata sint; Vera et cer-
tane omnia, cum in hac vrbe non dissentanea
tantum, sed et conficta atque falsa sine pu-
dore proferantur, haud scio. Inscribam igitur
pauca, et quibus tu atque omnes homines tuto
fidem adhibere possint. Meministi vero, quod
gravi morbo confectus in viam me dederim, vt
Imperatoriam Maiestatem huc sequerer: pro-
inde raro Caesarem in toto itinere accessi. Ex
iis autem, qui mensae adfuerunt, cognoui, pro-
lixius

lixius his paucis diebus, quibus in itinere fuimus, vsum piscibus prae multis annis proxime praeteritis. Saepe toto anno ne gustare quidem piscem memini. Straubingam cum venissemus, in nephriticum dolorem incidit. Eo, triduo post, satis grandi eiecto calculo, liberatus est. **S**upra vires tunc die noctuque Caesari praesto fui, et simulac huc veni, in grauissimum morbum, quo pene confectus sum, incidi. Cum iacerem, non temperasse sibi Imperatorem a fructibus parum etiam maturis, in ore omnium fuit. Vix vires collegeram, meum officium monendo, quantum potui, feci. Videbatur autem sibi Caesar annum climactericum septimum superasse (Calendis enim Augusti quinquagesimum ingressus fuerat). Verum id quoque non raro obseruaui, plus periculi annus climacterico proximus habuit. Ineunte enim Augusto, cum octiduum apud Caesarem fuisset Serenissimus Archidux, **F**ERDINANDVS, et mihi dolor auris, quo nimium saepe iam propemodum crucior, grauiter molestus esset, die 8^o. Sextilis in coena vinum refrigeratum Caesar hausit, et subito quasi spiritum sibi intercludi sensit. Coniecit

cit igitur se, discedens a mensa, in lectum, et
 nescio, quo medicamento hausto, (domi enim
 tunc me continebam) sudare, idque Caesar
 rarissime facere solebat et poterat, coepit. Ni-
 hil mihi DODONAËVS, qui coenanti Imperatori
 affuerat, significauit, sed ad flores borraginis zuc-
 caro conditos confugit, quos tamen Imperator
 nunquam attigit. Cum nunciatum mihi es-
 set a pharmacopaeo, Caesarem male afflictum,
 sublata iam die, volui accedere, verum do-
 mi remanere ea nocte iussus sum. Mane cum
 lecto Imperator surgeret, *facuum*, inquit, *me
 heri malum oppressit. Si durasset, tibi non pe-
 percissem.* Ex eo vero tempore numquam,
 (quod sciam) integrum cyathum exhaurire po-
 tuit, XIII. tamen die ad ingenium quasi rediit,
 et cum in prandio et persica, et cerasa largius
 comedisset, sub noctem vomuit. Et vt auxilium
 naturae ferret, (quod superioribus annis saepe
 fecit) in sequenti die a prandio abstinuit. Nun-
 quam autem mihi deinceps recte valere visus
 est, etsi quosdam principes viros accederet, et
 hilaritatem etiam prae se ferret. Sperni excel-
 lentes nam se nolunt. Nihil a me quidem au-
 ditum



ditum praeter illud, nephriticum dolorem sibi molestum esse, quem, nescio, quibus conquisitis remediis auertere studebat, aliquoties granis iuniperi est usus, zuccaro etiam incrustari voluit. Grauitur deinde et cum magna difficultate tussit. Itaque iam tum morbi exitialis factum initium non dubito, XXIX. Augusti autem die, quem diuus FERDINANDVS pro nephasto habebat, sub noctem hora X, nephriticus dolor Imperatorem optimum grauissime inuasit. Vomuit supra modum. Ex hac commotione cor commotum, *παλμν* esse omnes arbitrabantur. Verum pulsus non ostendit, cor palpitare, et ipse Caesar, non esse veram palpitationem, affirmabat. De nomine numquam odiose contendere volui, licet quidam, qui doctrinae suae annos numerant et iactitant, atque in deliberationibus medicis lecta magis de morbis, quam recte cogitata et intellecta adferunt, aliter sentiant. Obsessum vel a pituita, vel humore cor et pulmones affirmari et confirmari, atque vera remedia ostendi. Verum praeualuit error et destinata voluntas aduersandi eorum, quibus plaris fuit sua existimatio, quam Caesaris

ris

ris falus. Continuo ergo fotu cor contra meam voluntatem est debilitatum, et renibus cataplasmata, me quidem approbante, adhibita. Ita intra paucos dies 5. calculos fatis grandes Imperator excreuit. Missi sunt Caesaris nuncii, qui D. IULIUM arcesserent. Priusquam vero is huc venit, mulier quaedam Ulmenfis, STREICHERIANA, re et nomine, operatione D. GEORGII ILSINGII, praefecti Sueviae, mirifice commendata fuit. Appulit enim, vrgentibus nos fatis, fatuitate quadam ea huc nauigio. Et cum ILSINGVM ἀποδοξε esse scias, internuncio D. FRANCISCO PRINZENSTEINIO, quem praepositum Tridentinum, etiam nunc appellant, conquisitis laudibus ornata est. Accessit Comitis GUNTHERI A. SCHWARTZBURGK ceteri. cui dolores podagricos ademisse perhibebatur, testimonium, et fatales machinae Sapientissimo Imperatori ad istum modum admotae, vt firmissimum quemque euertere possent. Primo cum impudentissimae mulieri ad Caesarem aditus fuit, dixisse fertur, non superuicturum Caesarem fuisse triduum, nisi illa auxilio venisset. Et, vt solent mendaces impudentes, de valetudine intra paucos dies

B

re-



recuperanda ineptissime promisit. Vino interdixit, in quo omnis propemodum virium conseruandarum spes erat, et nescio, quas cocturas vino praetulit. Saepe igitur vno die 4. potus genera attulit. Vidi descriptionem quandam ex herbulis, quibus vulgo ad epilepsiam vtuntur. Nescio, an Imperator biberit. Hoc scio, in tota vrbe rumorem falsissimum sparsum, Caesarem duabus horis correptum epilepsia iacuisse. Vere autem affirmare possum, me totis his XII. annis, quibus continuo Imperatori adfui, et S. M. valetudinis curam, optima, conscia et rectissima voluntate gessi, ne minimum quidem huius morbi indicium vnquam a me animaduersum. Conatus sum nefariam audaciam mulieris comprimere, quantum in me fuit, et aliqua remedia, quae humorem in pettore assumere possent, proposui. Sed nescio, quomodo, imo bene scio, quomodo eorum vsus est impeditus. Appetebat tunc Caesar carnes; vinum, etsi insuaue erat, non abhorrebat. Ita quiescebat, vt me aliquot noctibus domi manere iuberet. Nequeo de his scribere plura, et haec ipsa grauissimum mihi dolorem faciunt. Aduenit D. IULIVS, 22. Septembris, cui, cum Imperator

rator

rator confilia muliebria, me absente, exposuisset, et quibus illa remediis triduo saltem vti vellet, locum muliebri medicationi concessit. Inspector fui huius acerbissimae fatuitatis 6. diebus. Cum vero istius imposturas et muliebres fraudes ferre amplius non possem, audientibus omnibus medicis, supplex S. Caesaream M. graui, ne sibi impudentem mulierem vana dare pateretur, me non velle videri mutum canem, qui silentio salutem Domini perderet; adesse S. Mti medicos eximios, qui et morbum intelligant, et quilibet curam in se recipere non dubitet, si quis addubitaret, (me quidem ea, quae diuina voluntate fiunt, non posse ad meum iudicium reuocare, neque auertere) verum si concederetur, solum velle curam in me suscipere. Vicit fatalis improbitas. Mulier enim purgans medicamentum dedit, et aliis multis, ac vero balsamo, vt mendacissima foemina appellabat, vsa est. Abhorreere statim a cibo et potu S. C. M. coepit, et grauissimus haemorrhoidum dolor, qui somnum ademit, inuasit. In oculos incurrebat omnium, valetudinem Caesaris in peius ruere, tamen ne in offensionem incurrerent plurimi, anilia ista col-


B 2

lau-



laudabant. Recensere de his omnibus neque
 possum, neque debeo. Ad generosissimum Do-
 minum, DIETRICHSTEINIVM, summum pa-
 latii Caesarei praefectum, Ημερόλεγον scripsi.
 Si ea saltem, quae post aduentum Caesaris RV-
 DOLPHI Augusti II. facta sunt, nunc recen-
 sere vellem, longa epistola futura esset. De
 dextri hypochondrii dolore, nocte ea, quam
 mors consecuta est, Caesar conquerebatur. Ibi
 foemina impudens Reginae, ANNAE, Ducis
 Bauariae coniugi, persuasit, pleuritide Caesa-
 rem laborare. Infinita ergo remedia prolata.
 Ut primum 12. Octobris illucescere coepit, con-
 tinere me non potui, quin multa fieri, nihil re-
 ctum, affirmarem. Voluerunt ergo, me, quod
 recte fieri posset, proferre. Respondi, me in
 ea esse sententia, si iuuari natura debeat, vel
 diaphoretica, vel diuretica adhibenda, atque de
 radicum petroselini decocto peculiari ita monui,
 vt me ignorare, sitne vitalis virtus integra ad-
 huc, significarem. Biduo enim muliebris medi-
 catio explorandi potestatem non concesserat.
 Naturam iacere manifestum erat. Me igitur
 prostratae naturae, et quod nullo modo medi-
 cum adiuuare queat, auxilium ferre non posse,
 testa-

testabar. Itaque ut arteriae motum explorarem, ad Caesarem deductus sum. Cum optimus Imperator carpum mihi praeberet: *Crato*, inquit, *nihil est pulsus*. Deprehendi autem vermicantem, ut medici loquantur, pulsus, et vix reperi arteriam, cum quadam intermissione elatiori. Fuit toto morbi tempore et inaequalis, et intermittens pulsus, interdum ordinate. Itaque omnibus, qui aderant, audientibus, dixi, humanis auxiliis nullum iam esse locum, diuina imploranda, et quae pro mea parte potui, optima fide monui. Accersitus est Episcopus Neapolitanus, inscio Imperatore, verum duabus fere horis post admissus. Nam aliquamdiu vel in ardua cogitatione, vel inuocatione Domini Imperator iacuit. Paulo post horam suam adesse magno animo atque excelso affirmavit. Admonitus de praesentia Episcopi, eum posse accedere dixit, hac conditione, ne quae alia de re, quam Christi Saluatoris nostri vnici merito loqueretur. Non defuit officio suo episcopus, et cum ad extremum Caesarem hortaretur, ut pluris valere apud Deum, I. C. Domini nostri innocentis sanguinem, quam totius mundi nocentis pretia statueret, atque in hac fiducia se suamque salutem aeterno Deo committeret, et in spe vitae beatae et aeternae vs-



que ad extremum vitae spatium constanter acquiesceret. Ibi Imperator clara voce respondit: NON ALITER FACIAM. Ac mox quasi obdormiscens animam pie et cordate egit. Ea ipsa hora, quae 12. diei Octobris (qui dies Diuo MAXIMILIANO inscriptus est in Calendario) IX. erat, in Curia Senatoria patrem repraesentante RVDOLPHO II. Caesare, decretum conventus Imperii coram statibus promulgatum est, cumque finem legendi Moguntinus Cancellarius fecisset, vivere quoque in his terris MAXIMILIANVS Imperator desit, et filius, qui paulo ante in senatum Imperii, vt Germanorum Rex, venerat, Imperator discessit. Non defuerunt homines improbi et leues, qui affirmare audebant, multo ante Imperatorem MAXIMILIANVM e vita migrasse. Sed cum illis contendere, qui, tanquam suavi esca, delectantur mendaciis, ineptum est. Insequenti die XIII. noster PETRVS SVMA, industrius et officiosus vir, cadauer aperuit, nec vllum membrum insigniter laesum, neque in vlllo vllius exulcerationis vel inflammationis, de qua inepte quidam loquebantur, signa reperit. Pulmones et illa omnia, quae Diodorus ἐν τῷ ἐνθιδία πνεύματα appellat, humore subflauo innatabant, et pulmo natuum colorem amiserat, Ὠγέρες vero et cordis

inuo-

~~_____~~
 inuoluerum plus iusto humoris aquei contine-
 bant, et ad orificia cordis membranae ita in-
 duratae erant, vt offeae viderentur. Materia
 autem quaedam in lapidem in ipso corde con-
 creuerat, quam exemtam illustri Domino, DIE-
 TRICHSTEINIO, exhibui. Cor nonnihil ad-
 conum propter redundantem humorem albica-
 bat. In ventriculo ater humor conspiciebatur,
 qui vel e splene in eum ingurgitauit, vel ex
 medicamentis muliebribus ortus erat. Nam
 pituitosi humoris crassi et visceridi plane in mor-
 bo supra §. 6. vomitu eiecerat. Huius autem
 atri humoris paulo ante vitae finem ad §j. euo-
 muit, neque deinceps quicquam assumsit. Alla-
 tae quidem quaedam in articulo beatae migratio-
 nis forbitiones fuerunt, verum illas non attigit.
 Renes minime male, cum saepe hoc decennio
 nephriticus fuerit, affecti erant, et dexter sa-
 nus omnino videbatur, in sinistro materia are-
 nosa, pauca, nondum tamen concreta, re-
 perta. Vreteres tamen in ea parte aliquo mo-
 do laesi. Satis ex his medicae artis peritis,
 quae morborum causa fuerit, et quae sanatio-
 nis via, perspicuum; qui non videt, infeliciter in
 arte medica occaecatus est. Ego quidem num-
 quam dubitavi, et saepe frustra monui, cum
 difficultatem spirandi eam viderem, vt forben-
 do

do paululum vix cyathum exiguum exhaurire
 poest, atque cum integra septimana sextari-
 um biberet, singulis vero diebus naturalibus
 ad conchium fere vrinam redderet, eo ducen-
 dum, quo natura nobis viam monstrabat. Sed
 DODONAEVS noster, nescio, quae somnia
 fingebat, non potuisse aquosum istum humo-
 rem medicamentis educi, demortuo etiam
 Imperatore, adfirmabat. Nolui contendere
 ad cadauer, Hippocraticae saltem sententiae,
 qua in corpore vivo omnia posse permeare, et
 vias nobis ignotas transire docemur, admonui.
 Clarissimus autem D. IULIVS, vir ad leuita-
 tatem animi singularem factus, et vere *αρεστος*,
 se obseruasse pleuriticium, plus minuisse subii-
 ciebat. Sed difficile est, *μυχανορέαφες* (frau-
 dum confutores) ad rectam sententiam perdu-
 cere. Ego de his recordationes nunc fugio,
 et *εγγήματα* quaero, ac ne cum istis ingeniis
 mihi deinceps vnquam sit conflictandum, sedu-
 dulo cauere studebo. Vtinam, iterum, vtinam
 Deo atque nostris Musis, quod reliquum est
 vitae, viuere concedatur. Bene Vale. Au-
 gustae Tiberii 2. Octobris. Citius enim propter
 grauissimum morbum filii animum ad scriben-
 dum applicare non potui. AD. M. D. LXXVI.

IOH. CRATO.

No 2282.

80


ULB Halle 3
003 060 616




Sb.

111







Farbkarte #13

B.I.G.

IOANNIS CRATONIS
A KRAFFTHEIM

TRIVM IMPERATORVM QVONDAM CONSI-
LIARII ET ARCHIATRI

EPISTOLA

AD

IOANNEM SAMBVCVM

MED. DOCT. CONSILIARIVM ET HISTO-
RICVM CAESAREVM

DE

MORTE IMPERATO-
RIS MAXIMILIANI
SECVNDI

NVNC PRIMVM EDIDIT

D. CHRIST. GODOFRED.
GRVNER

PROF. MEDICINAE IENENSIS

IENAE

LITTERIS MAVKII
clcccclxxxi.